DOMINICI SARNI

SACRORVM CANONVM ANTECESSORIS

ORATIO

IN NEAPOLITANO ARCHIGYMNASIO

PRO SOLEMNI STVDIORVM INSTAVRATIONE

HABITA ANNO CIƆIƆCCCXVI.

NEAPOLI 1816.

TYPIS PORCELLI.

Cum permissu.

EXCELLENTISSIMO MARCHIONI

DONATO THOMASIO

FERDINANDI IV. P. F. A.

A SECRETIS, ET CONSILIIS

EIVSQVE CVBICVLARIO etc. etc.

DOMINICVS SARNVS

FELICITATEM.

Ad hanc Tibi, Excellentissime Marchio, dicandam orationem in Neapolitano Archigymnasio habitam et honos, quo afficior, et praesidium, quo munior, animum meum vehementi quodam impetu impulerunt. Si quis forte Aristarchorum pervicacissimus vel de stribligine verba, vel de levitate doctrinas maledico dente carpere decreverit, clarissimo nomine tuo praestrictus illico in alia omnia abibit. Tibi placuisse, quem litteratorum Principem res tota litterarum publica adgnoscit, sat abunde est, ut prolatae mentis meae conceptiones nulli prorsus censoriae virgulae subiiciantur. Sane quum primum ex ephebis excesseris, ita melioribus litteris ingenium litasti tuum, ut Salomonem imitatus, qui, optione a Deo sibi data petendi, quae vellet, sapientiam beneficiis omnibus amplio-

pliorem delegit, hanc unam improbo labore assequi exoptares. Sapientem uno Iove minorem esse sensisti, et bona omnia, quae beandae vitae inserviunt, in eum sponte sua confluere probe iudicasti. Quum autem ex sententia vota ceciderint, mirari non subit, cur hodie quantus quantus es, nihil nisi sapientia esse existimeris. Ita altam aequi bonique cognitionem consequutus, individuam sapientiae comitem iustitiam addidisti. Hinc necessario fluxit, ut, plenissimo virtutum tuarum periculo facto, in Siculo, et Neapolitano regno ad altissimos dignitatum gradus adolescentulus eveherceris. Iam a providentissimi Regis nostri libellis, et consiliis administer renunciatus, tantam Tibi quotidie in negotiis expediundis gloriam comparas, ut uno omnium populorum ore summe sapiens, summeque iustus praediceris. Sic quidem se res habet, ubi id genus viris prima publici regiminis pars apte concreditur. Quos Graecia in splendidissimum Amphyctionum consessum adlegit? Quos communi provehendo bono praefectos instituit? Num alios, quam immortali litterarum nectare, et ambrosia enutritos? Quamvis igitur insuperabilis sapientiae, iustitiaeque tuae praestantia magnificis praemiis, et singularissimis decoribus cohonestetur; maiorem tamen regni habitatores, quibus benigne facere unice cogitas, utilitatem accepisse nemo unus ibit inficias. Vive diu sapientium hominum delicium, et hoc levidensae munus tanquam aeternum obsequii mei, humillimaeque clientelae pignus volens lubens excipe. Vale.

Dif-

Difficili labente tempestate, qua moribus, et religioni grave vulnus illatum, qua vale virtuti dictum, vitioque in diem triumphus agitur, quaque passim iniquitatum seges excrescit, probatissimi quique, ut ingravescenti malo praesentissimum remedium pararetur, nec lacrymis, nec precibus pepercerunt. At voti compotes nunquam fieri conqueruntur, ubi ab Averni lacunis ad nequitiam quaquaversum disseminandam scioli quidam emersere, qui irradiantia lumina coelo speciatim delapsa sibi unis tribuunt, sibique unis orientem solem splendescere gloriantur. Id genus nebulones nefarios Gnosticos imitati alios omnes, qui seorsum sentiunt, vel tanquam superstitioni mancipatos, vel tanquam altiorum cognitionum imperitissimos censorio elato supercilio despicatui habent, iniuriis prosequuntur, abiectam popelli faecem existimant. Ad hanc contundendam superbientium homuncionum perfidiam quamvis aeternarum legum praecones nervos omnes intenderint, omnemque moverint lapidem, nil tamen impetrarunt aliud, quam ut poenarum metu deterrerentur. Hinc prudentia optime consulti, notumque divini Servatoris praeceptum sequuti, quo *Sanctum dare canibus* omnino vetatur, pessulum ori suo obdere perbelle iudicarunt. Si igitur pestifero sublimioris ingenii obtentu veritatem perdere, mores pessumdare, sanctamque doctrinam radicitus evellere

 in

in impiorum animo volutetur, instituti nostri ratio postulat, ut, quid sibi litterae velint, in lucem aspectumque proferre enitamur. Ab evolutis permanentibus codicibus, quos Deus, homo, universusque creatarum rerum cumulus attentissimo cuique offerunt, unice illas inservire patet, ut Deo, eiusque sacris initiemur, et usquedum vixerimus, hic quoque in terris solidam gustemus beatitatem. In hoc quidem ante saecula edito libro et *microcosmos*, et *microtheos* homo legitur, utpote qui parvulo quodam modulo mundi amplitudinem, ac Dei maiestatem repraesentaturus, ante omnium oculos ita natura comparatus occurrit, ut quae huic insunt rerum universitati, ea percipiat omnia, quaeque ad coelestium ordinem pertinent, in iis cum Deo communicet. Id itaque unum litterarum studia spectant, ut tribus intellectis immortalibus voluminibus, se ipsum homo noscat, se ipsum serio contempletur, ultimumque sui altissimum bonum hilarissime meditetur. Iam nostis, in quo tota versetur oratio mea, quae hominem libere adloquitur, eique effatum in Delphica tabula inscriptum vehementer iniungit, *nosce te ipsum*. Sibi adgnoscendo par erit, non ubi ad scientiam addiscendam, quae sensibilibus innititur, animum appellit, sed ubi sapientiam, quae hominem ad divina extollit, adcurate persequitur. Ita illud potissimum committam, ut a se ubique iactandis desistant inflati ardeliones, veraque sapiendi luce perfusi improba corruptae philosophiae sophismata in tartareas cryptas amandent. Ego interim in tanto litteratorum hominum conventu, ac

fre-

frequentia selectum magni momenti opus nec tumidus, nec timidus absolvendum adgredior. Si res ex inito consilio bene, feliciterque processerit, praefiscini et vobis, optimae spei adolescentes, et toti hominum generi feracissimam adferam utilitatem.

Homini se ipsum scrutaturo multa in meditationibus suis discentienda praebet tum constituta indoles, tum insita menti ratio, seu supputandi potentia, quae singulis quibusque ad calculum exigendis aptissima adcommodatur. Quis, a quo, et ubi sit, prior inquirendi caussa exoritur. Cur vero sit, quid deinceps erit, quo tandem, et qua iturus, gravius alterum exsurgit investigandi principium. Pergrandia isthaec quum duce nullo, nulloque praeceptore ad obrussam revocet, suoque consilio temere committat, vitare prorsus nequit, quin sit aera lupinis confusurus. Sane si coeco carcere inclusus in hunc terrarum orbem adveniat, nec in alio, quam in sensuum incunabulo iaceat, eorumque ministerio agat, vivatque, iure merito sensibilem esse, et in sensibilibus versari arbitrabitur. Vulgatum est enim, neminem sibi illud appetere, quod ignorat, aut quod non habet, illud stulte tribuere. Nec sibi adiumento est innata ratio, quae suamet vi illud computat, quod animo sculpitur, quaeque subinde in corporum idola, quae sensuum praesidio abstracta in mentem transferuntur, suam tantummodo impendit operam. Sponte sua nunc evenit, ut ratio, quae varias in animum inductas species conferendas suscipit, sensibilium limitibus coerceatur. Hoc vel bardus quisque si-

sibi suasum habet, exploratumque. Potestne in hac fortuna positus vel *microcosmos* dici, qui universalia prospicit, vel *microtheos*, qui spiritualibus adnectitur? Urget sana cogitandi ars, ut vocabulo ad rem praecipue designandam usurpato *naturalem* nuncupemus, qui rebus sub aspectum, tactumque cadentibus plane delectatur.

At hominem intelligere facile quispiam adversatur. Qui sic edisserunt, inanes in medium afferunt affanias. Si tanti intelligere valet, quanti intus legere, ubi intus corporeae imagines praesto sint, obveniantque, has solum mente concipit homo, intelligitque. Hic animadvertere abs re non erit, toto coelo Sophistas aberrasse, qui hominem ideo *rationale animal* dixere, quod sola rationis ope ad superna assequenda, quae oculorum obtutum penitus fugiunt, mire evehitur. Quis nunquam accepti, aut nequaquam expensi calculos ducit? Quis interiora secum reputat, quae foras nec prodierunt, nec unquam prodire potuere? Ii quoque falluntur, qui morum regulas a recta ratione, a recto scilicet calculo tanquam a pleno alveo in hominum mentem fluere opinantur. Idem mihi videtur, moralia, quibus animus ad pie vivendum instruitur, a rationibus subducendis oriri, ac tenebras in dissitas usque regiones radios effundere. Quum enim ab aspecto corpore, quod in hominum sensus incidit, imago proficiscatur, quae fit menti praesens, quaeque calculo subiicitur, ab eadem normae praecipiendae ansam arripere tam absurdum apparet, quam quod absurdissimum. Somniant igitur harumce procacium opinionum se-

sectatores, qui commode possunt lepidissimis Idealistis comparari. Hi quidem furore correpti, quin intimam rerum substantiam inspicerent, extima ab ipsis organorum munimine abradebant, glutine quodam commiscebant, eorumque monstrosis imaginationibus decipientia phantasmata, quas philosophicas ordinationes putabant, in publicum petulanter emittebant. Et ut me uno expediam verbo, an intelligat homo, non quaeritur, sed quibus intelligendis in solitudine, nullo docente, locatus suomet ingenio aptus monstretur, in nobilem adducitur disceptationem. Et quidem si dolata tabula nascatur, ubi coeleste nihil, nihilque immortale sistitur, necessum omnino est, ut inspectis rebus tactus corporeum semper, atque temporarium videat, sentiatque.

Fortasse replicat alius, omnibus e nihilo eductis rebus legem latam, qua finem quaeque suum consequeretur. Ergo homo, qui ad summum bonum pondere suo fertur, sola ratione ductus optatam metam recto adhibito cursu contingere obtinebit. Verum si statuta lex, quae praescripto fini respondet, attente expendatur, eam universae animali naturae convenire liquebit. Apage a Stoicorum dogmatibus, qui eamdem hominibus, ac brutis rationem aptarunt, nihilque apud Senecam legem esse, quam *divinam rationem toti mundo, et partibus eius insertam* asseruere. Hac sententia rapti olim Romani Icti illud pro iure naturae habuere, quod *natura omnia animalia docuit*, quadrupedesque pecudes, quae contra animantium sui generis naturam moverentur, quasi deliquisse

 cen-

censuerunt. De homine vero nominatim verba facturi duas oppositas leges distinguamus oportet, quarum altera *physica*, *ethica* altera appellatur. Prior, quae animalem hominem dirigit, latet nemini: posterior contra, quae virum in Deum erigit, tunc patet, quum alta instructione divulgetur. En cur sacrorum nescius agrestis homo, unoque sensuum auxilio vallatus in gravissimum Apostoli eloquium erumpere nequeat: *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae. Infelix ego homo!*

Nullus nunc dubitationi reliquus fit locus, quin sempiterni consilii expers homo sensibus credere, iisque se instituendum dare obtorto collo obstringatur. Hac duce methodo, quam sensus, et naturalis calculus exornant, litteris adipiscendis parati, velimus nolimus perinde in errorem, et in turpia incidimus, ac nudo pede praeruptas rupes concubia nocte offendimus. Sic se id habere, ipsamet existentium rerum conformatio probat, qua duabus separatis formis, et intima, et extima constare plene edocemur. Intima quidem forma permanens illa vis dicitur, quae rem penitus constituit, eique vitam confert, quaeque, ut usitato sermone utar, id secum continet, quo posito res effingenda in individua sua specie ponitur. Extima vero vaginae, thecaeque simillima videtur, qua interior forma undequaque operitur, inque tot tantisque fasciolis obvolvitur, ut spectantium oculis hinc illinc abscondatur. Quo factum, ut isthaec intrinsecus sita forma subiecti nomine designaretur; quippe quod sub intexto ve-

velaminum involucro iacet immotum, fortuitisque temporum iniuriis incolume reservatur. Ita homini species ab obiectis rebus sibi obvenientes intuituro non latens forma, quae veritatem retinet, sed visibilis, quae rerum corticem prodit, dumtaxat innotescet. Hinc litterae, quas sensu, unaque ratione magistra comparamus, humanae mentis aciem non ad penitiorum cognitionum altitudinem attollunt, sed ad illudentem sciendi pompam inepte alliciunt. Hinc vastantis turbinis instar malesuadus error huc illuc excurrerit. Hinc et accipitur, cur litteris acriter maledictum, cur litteris tota societas perlatas calamitates imputarit, cur litteris horridiorum scelerum caussa etiamnum adscribatur.

Te nunc, naturalis homo, enixe rogo, hacne prava scientiarum instructione tanti esse credis, ut quis, a quo, et ubi sis, perfecte cognoscas? Immane quantum falleris! Si sola exterior tui pars, qua caro, et sanguis aestimaris, obviam tibi perspecta fiat, potenti virtute ad Dei imaginem affabre factum perpetua ignoratione obrueris. Quum enim hominis carnale tegumentum supputanti rationi solummodo praesentetur, nil mirum in studiose quaerendo, quis sit, Lucretii insaniam ab inferis excitatam sequi, qua hominem crassa materia compactum blateravit. A quo vero sit explorare, nil rursus mirum, e cineribus phoenicum more Spinozae deliramenta renasci, quibus mundanam molem ab aeternitate congestam ipsum Deum esse effutiit. Ubi porro sit, tristissima instituitur inquisitio. Siquidem carnem sapit spiritus, eiusque ille-

ce-

cebris capitur, ubi sit, voluptatum locum figit, qui, restitutis Epicuri vaniloquiis, genio, ventri, effraenique alendae libidini addictus ostentatur. Sic de se diiudicat naturalis homo, quem sensus specierum portitor, et calculorum parens ratio moderatur. Quid posthac dicturus, si forte cur sit, quid deinceps erit, quo, et qua iturus, quavis ingenii sui alacritate speculabitur? Vocem profecto comprimit, fractoque animo in labyrinthum decidisse profitetur, unde nec Ariadnae filo extricabitur. Et vero non sunt haec humanae rationis congruentia iudicia, sed superioris legis arcana praecepta, quae singulis quibusque temporibus tum Prophetae divino spiritu afflati, tum gratia, et Spiritu Sancto Apostoli repleti ubique gentium pertulere.

Verum ne longius labar, quae sensibilium fonte litterae hauriuntur, eae ad philosophiam rediguntur, quam mundi elementis inductam apud Colossenses Apostolus summopere improbavit. Quo autem commodius huiusce furfuris scientias naturalium hominum licentia confictas trans terrarum limites ablegandas colligatur, illud unum sat superque est perpendere, se posse ab admissis piaculis improbissimum quemque repurgare. Si grassanti concupiscentiae fomitem addiderit, si cupiditatibus ultro debacchantibus faces admoverit, si vitii nomen in virtutem transtulerit, illico suos imaginariae philosophiae libros versabit, qua sic sensum, altamque ratiocinandi potestatem praecepisse veluti ex tripode pronunciabit. Oh calamitatem longissime averruncandam! Hanc ab humano ge-

ne-

nere lethalem pestem et nos, auspice Deo, pro virili propulsabimus, si officio, quo fungimur, curvas ad rectas lineas reduxerimus, sensibilium scilicet scientiae sapientiam, qua ad divina trahimur, recte substituerimus.

Ne quis mihi ab hominis sapientia scientiae notionem secernenti dicam fortasse scribat, certiorem in antecessum factum volo, scientiam illi inesse, qui rem oculis extrinsecus lustrat, pulcherrimamque alteri haerere sapientiam, qui arctissimam cum Deo init communionem. Quandoquidem vero scientiam homini imparem ad ravim ostendi, sapientiam ipsi necessariam exigi leviter attingam. Quanta quanta apud homines sapientia effulget, tota *Logos* est, universale nempe Verbum, quod ab orbe condito generatim docuit, palam tradidit, penitissime erudivit. Id in evangelicis adlocutionibus Ioannes adfirmat, ubi Pharisaeis Iesum sciscitantibus, quis esset, sic aeternum divinumque Verbum respondit, *ego principium*, *qui et vobis loquor*, semet una videlicet rerum et doctrinarum principium declaravit. Homo interim, qui Deum inter, et immensam creatarum rerum compagem veluti medium locum habet, statim instrui coepit, animumque ad conditum adgnoscendum opus probe intendit. Compertissimum enim apud omnes est, hac esse hominem natura constitutum, ut res mentis suae provehendae ergo sint illi detegendae, non ut homo rebus intelligentia carentibus sit frustra explicandus. Ita ab universali Verbo artes, et scientias eo ferme temporis articulo didicisse, quo abrasae tabulae instar in mundi limina introiit, ne-

mo

mo unus ibit inficias. Indignum sane omnipotenti Conditore erat nec paedagogum, nec rectorem se homini praebere, eumque lubrici consilii sui arbitrio relictum, quid esset acturus, quidque omissurus, prorsus ignorare. Quid adeo laudabile hominem creasse, nisi et conservetur? Quid conservasse, nisi et traditis cognitionibus imbuatur? Logos igitur principum instructionum auctor salutandus, eique accepta artium, et scientiarum origo referenda.

Quum itaque ipsamet hominis e nihilo educta species in propatulo posuerit, a Deo, qui, Divo Paullo teste, *multifariam, multisque modis loquutus est olim hominibus*, sapientiam erui debere, isthaec eadem veritas tanquam fulgentissimum solis iubar enitebit, ubi praeteriti temporis memoriam repetere placuerit. Antiquum Foedus litteris clarissime prodidit, Adamum ore Dei tum intima, tum extima rerum omnium forma instructum nomina singulis indidisse, quibus interior earum vis graphice exprimeretur. Hanc in liberos transmissam cognoscendi potestatem, quae ipsi numeris omnibus absolverunt opera, ea faciunt testatissimum. Nonne urbem aedificasse dicuntur, cithara cecinisse, et malleo ferrum percussisse? Quem primigenium, aeternumque Verbum ab exstructo usque mundi opificio sapientiae splendorem emisit; eumdem posteriori vertente aetate ampliasse accipimus. Babylone nimirum sequuta, seu linguarum confusione inducta, qua voces varium apud omnes sonabant, Abrahae Deus tam largam radiantium luminum copiam diffudit, ut

ut tristissimae ignorantiae tenebrae, quibus humanum genus obvolvebatur, protinus depellerentur. Cum veteri novum concinit testamentum, quo reseratis labiis mortalium vetustioribus *concredita cloquia Dei*, eorumque posteris traditione superstite gradatim patefacta confirmamur. At ne multus sim, quod notum est Dei, illud ideo notum scribit Apostolus, quia *Deus manifestavit*.

Quod me in praesentia angit, cruciatque, illud est, traditionem, qua in nepotes, aliosque deinceps nascituros sapientia transferebatur, urgentem dedisse caussam, ut vario ore, varioque aevo prolata misere corrumperetur. Natura evenit, ut longo interiecto spatio vel aliquid memoria excidat, vel adiiciatur aliquid, aliquid detrahatur. Hinc caliginum, fabularum, et historiae tempora advenere. Caliginum tempore quamvis in animo fixa nonnulla divinarum veritatum vestigia superessent; docentium tamen scholae, qui depravatas traditiones in deteriorem partem detorsere, sacra profanis commiscuerunt. Philosophia apud Orientem illuxit, quae materiae aeternitatem sacrabat, interminamque Aeonum, seu spirituum stirpem a supremo Numine emanantem putido stomacho evomebat. Hanc autem philosophiam, quam veluti humanarum, divinarumque rerum scientiam Syri, Persae, Aegyptii, aliique quamplurimi excoluere, a Superis originem traxisse suam inflatis pene buccis iactitabant. Fabularum porro tempora non unius commenti coagmentabant tropos, qui toti illuc revolvebantur, ut solo immortalium Deorum sermone hominibus sapientiam vulgari si-

significaretur. Cur Mercurium Iovis nuncium agere fingebatur? Cur Minervam Iovis cerebro prognatam? Cur Prometheus in coelos ignem soli subreptum ascendisse ferebatur? Cur Apollini Castalii fontes dicati? Cur Minerva simulato Mentoris vultu Ulyssis filio comes adiuncta? Cur Aeneae dux Venus data? Toti, inquam, isti tropi ad illud ostendendum redeunt non posse alibi, quam in aethereis aedibus scientiarum lumina quaeri, nec alios, quam Superos, adgnoscendos hominum instructores. Haec in gentium animis tam tenax insedit opinio, ut qui a sapientissimis Diis scientiam proficisci perfricta fronte negabant, suoque levissimo vindicabant ingenio, eos ad iniuriam tanquam divinitatis hostes, coecos, coecorumque moderatores insectarentur. Ita Typhones, Cyclopes, Plutones nati, qui ab hominum societate seiuncti in deterrimis locis ad luendam insipientiae suae poenam sedem figere damnabantur. Tandem historiae tempora philosophos sistunt, qui etsi in sectas scissi in contraria studia abierint; quisque tamen doctrinae suae rudimenta a divino sapientiae fonte hausisse contendebat. En obscuras, fabulosas, et historicas aetates, quas eo consilio percurrere duximus, ut quovis tempore Logon saltem per ambages sapientiam humano generi tradidisse comprobaretur.

Roganti cuidam, cur unanimis populorum consensus artium, et scientiarum ortum Numinibus addicendum praedicarit, congruam Tullius vel ethnica superstitione imbutus reddit responsionem. Caussatur scilicet disertissimus Orator, quod homines, quos Deorum scientia re-

git,

git , necessitatibus suis scite consulunt , plenissima vivi fruuntur tranquillitate , et fato functi spem concipiunt meliorem . Verum nos immutabili verae religionis doctrina firmati , artes , et scientias uni Deo debendas fatemur , quia ipsum solum tanquam ingenuum veritatum fontem collaudamus . Ab ipso quoque docti , quis , a quo , et ubi sit homo , neutiquam ambigimus . Quis , et a quo sit , in sacris litteris *Dei imago* aperte definitur . Quum autem tantumdem imago sonet , quantum imitari , homines , qui latae legi obtemperant , praeceptasque virtutes aemulantur , amoris igne incalescente , Deo intime coniunguntur . Eo sensu patricia verba ad homines diriguntur : *Vos Dii estis* , *et filii excelsi omnes* . Ad hanc dignitatem aeterna providentia factus homo nil penitus habet offensionis , quin consequatur , modo sapientiam , qua actus omnes est Deo relaturus , adprime comparaverit . Hac sapientia ductus , ubi , et cur sit , veluti lynceis oculis intuetur . In loco quidem inhabitat , ubi innumera divinae potentiae monumenta admiratus , ad immodicas Creatori suo celebrandas laudes , gratiasque habendas immortales intimo animi sui sensu abripitur . Hic quoque nomen militiae dedisse comperiet , ut indicto mundi illecebris bello , splendido virtutum cumulo muniretur , atque scelerum , et errorum exstirpato semine tanquam gravis armaturae selectus miles completam ab infestis hostibus victoriam reportaret . Quid deinceps erunt homines , quo , et qua ab hoc terrarum domicilio ituri , in proclivi est colligere . Si Dei imago , si Dii , si filii excelsi omnes al-

alte audierint, aeternos illos esse, Deum adituros, eoque aeternum fruituros primo mentis obtutu assequuntur.

Iam tempus monet, ut meam ad vos, morati iuvenes, convertam eloquutionem. Si ad discrimen mostrandum, quo a scientia sapientia distaret, et a sensibili spirituale differret, longiorem, quam par erat, sermonem provexerim, id unum pensi habui, ut semidoctos blaterones, qui animos depraedantur, cane peius, et angue fugeretis, et qua praediti estis mentis sollertia, ne nubem pro Iunone amplecteremini, attente prospiceretis. Insunt ingenio vestro discendi germina, quae prout foecundantur, vel sylvestres fructus pariunt, qui cito putrescunt, vel suavissimos ferunt, qui nullam subeunt corruptionem. Eia vos ipsos noscite, et in memoriam redigite, Athenienses de probitate sarta tecta custodienda adeo sollicitos vigilasse, ut Socratem vel per instructam sibi sycophantiam, qua de Diis, eorumque cultu nonnulla paullo liberius edocere postulabatur, indicta caussa ad mortem compulerint. Immo quo vos ipsos facilius nossetis, diu multumque cogitatum. Laeti igitur frontem explicate, festumque ubique locorum agite; summo enim interposito studio hinc procul abiit fucata scientiarum petulantia. Pientissimo Regi nostro litterarum Statori quasi Iovi grates habendae, eique uni ad nominis aeternitatem in clarissimis hisce musarum aedibus aurea statua ponenda, qui, ut ad Sapientiam, quae Deum parentem adgnoscit, scientiae reverterentur, omnia experiri haudquaquam dubitavit.